



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuissimè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1646

Ad Candidvm Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40233

AD CANDIDVM LECTOREM.



REVIARIJ Romani Leges & Rubricas , neminem adhuc legi , qui plenè explicauerit : nonnullas attigit in suo Cærimoniali Hispano Petrus Ruiz ; sed , earum aliquot in prima recognitione Breuiarij meritò mutatis , redditus est ferè inutilis eiusdem laudabilis labor. antiquiores alij , qui de Horis Canonicis scripserunt , quàm paucissimas sunt persecuti ; earum formam cum causis mysticis indicarunt , prætereà nihil plurimæ post Concilium Tridentinum additæ fuerunt Rubricæ , quæ Commentarijs egent , & Notis. Post horum Commentariorum Editionem primam , scripsit in easdem Breuiarij Rubricas Thomas Aluarez Lusitanus non contemnendum Opusculum ; in quo tamen abundat ille sæpiùs in sensu suo , præter legitimum Rubricarum sensum , quem in Urbana Breuiarij recognitione diligentius examinauere Delegati ; & suis locis significabo. Itaque collegi in hoc altero Volumine Rubricas omnes , quæ ad Horas Canonicas attinent ; demonstrata , vt in priori Volumine , cuiusque ritus Origine , Causa , Obligatione , Praxi , & Vsu proprio , de Maiorum auctoritate , Decretis- que sacræ Rituum Congregationis ritè & opportunè additis : diuersa tamen methodo à superiori Volumine ; non textui Rubricarum mordicus inhærens , sed ea omnia , quæ ad Breuiarium attinere , seu in Breuiario contineri videbantur , in decem Sectiones & centum Capita diuidens ; quibus non modò vniuersæ Ecclesiæ , cui labor meus deseruire potissimùm debet , verùm etiam particularibus Ecclesijs , in ijs quæ earum sunt propria , fiat abundè satis . Moneo Lectorem , quòd pro dignoscenda horum quoque Rituum antiquitate recurrendum erit ad primos prioris Voluminis Indices : proprios autem dabunt Indices proximæ , quæ sequuntur , paginæ . Vale , & Auctorem salutis ora pro salute auctoris .

IN-